

VIDUA, VIDUUS.

Lubet sequentia expendere.

(1. Viduis, aut conjugatis, vel puellis viginti quinque annorum ætatem excedentibus, ut in habitu sæculari in monasteriis degant, absque sacræ congregationis, aut Romani Pontificis facultate non permittatur. Sac. congregatio Episcop. et Regul. apud Barbosam, in *Summa Apost. decis.*, verb. *Vidua*, n. 1, et eadem sacra congregatio Episcop. 19 Julii 1647, et 14 Maii 1649, apud Nicol. in *Floscul.*, verb. *Vidua*, n. 1, (2. et talis licentia non datur, nisi pro monasteriis numerosis. Eadem sac. congregat. Episcop., in *Brixien.*, 15 Julii 1603, (3. et in casu obtentæ licentiæ debet vidua ingredi sola, nisi aliud concedat sacra congregatio. Eadem sacra congregatio Episc. in *Januensi* 25 Octobr. 1602, in *Novariensi* 12 Maii 1604, in *Cæsaraugustana* 17 Januarii 1614.

(4. Moniales fieri non prohibentur viduæ. Sac. congregatio Episcop. et Regul., in *Faventina* 8 Februarii 1593, apud Nicol., *loc. cit.*, n. 4.

(5. Et in locis vacantibus monasteriorum, quæ hujusmodi mulieres recipere consueverunt, non est necessaria licentia sacræ congregationis. Eadem sac. congregat. Episcop. et Regul., in *Fulginate*. Martii 1621, apud Nicol., *loc. cit.*, n. 4.

(6. In professione recipere potest vidua velum professarum, sed non virginum, neque in hoc sacra congregatio dispensat. Eadem sac. cong. Episc. et Regul., in *Fesulana* 20 Decemb. 1604, apud Nicol., *loc. cit.*, n. 5.

(7. In abbatissam eligi non potest sine licentia sacræ congregationis. Eadem sac. congr. Episcop. et Regul., in *Cassanen.* 29 Januar. 1585, in *Forolivien.* 4 Novembr. 1611, in *Sarzanen.* 15 Julii 1616. (8. Licet matrimonium fuisset solum ratum et non consummatum. Eadem sac. cong. Episc. et Regul., in *Spoletana* 12 Aprilis 1619.

(9. Vidua post mariti mortem, non potest

licite missam omittere ultra mensem; alias ab episcopo compellatur per censuras, non obstante quavis consuetudine, concil. *Mediolanem.*, part. 2, tit. *Quæ pertinent ad celebrationem missæ*, ibi: « Viduæ ob maritorum mortem ad summum ne mense amplius sint sine missæ auditione: qua in re nulla valeat excusatio ejusvis consuetudinis, quam irritam decernimus. Eas item episcopi etiam censuris ecclesiasticis id facere cogant. »

(10. Vidua et viduus quando peccent, vel non, circa delectationem morosam de copula præterita. *Vide* verb. *DELECTATIO MOROSA*, a n. 30 ad 32.

(11. Vidua nubens intra annum luctus obnoxia erat infamiæ, aliisque penis ex jure civili, ut patet ex l. *Liberorum* 81, ff. *De his qui notantur infamia* leg. 1, cod. *De secundis nuptiis*, et *Authentic. De secundis nuptiis*, § *Primo si quidem*, collat. 14, cum similibus. At vero ejusmodi leges abrogatæ sunt a jure canonico in cap. *Super illa* 4, *De secund. nuptiis*, ibi: « Super illa quæstione, qua quæsitum est, an mulier possit sine infamia nubere infra tempus luctus secundum leges definitum, » Respondemus; « quod cum Apostolus dicat, mulier, viro suo mortuo, soluta est a lege viri sui: in Domino nubat, cui voluerit, per licentiam, et auctoritatem Apostoli ejus infamia aboletur, » et in cap. *Cum secundum* 5, eod., ibi: « Cum secundum Apostolum mulier, mortuo viro suo, ab ejus sit lege soluta, et nubendi, cui vult, tantum in Domino, liberam habeat facultatem, non debet legalis infamiæ sustinere jacturam, quæ licet post viri obitum intra tempus luctus, scilicet unius anni spatium nubat, concessa sibi tamen ab Apostolo utitur potestate; cum in his præsertim sæculares leges non dedignentur sacros canones imitari. » Idem, *De synodo diœcesana* lib. vii, cap. 38, n. 6. *Vide* verb. *UXOR*, a n. 40 ad 43.

VIGILIA.

Hæc ad rem animadvertenda.

(1. Vigilia est solemnioris festi præventio instituta ab Ecclesia in præparationem ejusdem festi, præsertim observatione jejunii ac nocturnæ, ut antiquitus, vigilantia in Dei laudibus. Antiquitus enim præter jejunium solebant fideles tota nocte vigilare in Dei laudibus apud ecclesias sanctorum, quorum festa præveniebant. Quarti part. 1, tit. 3, n. 2; Merati tom. I, sect. 4, cap. 7, n. 1, et alii passim. (2. Unde a sic vigilando ortum est nomen vigiliæ, quod etiam nunc retinetur, quamvis non in omnibus vigiliis jejunetur, et mos vigilandi de nocte, propter abusum, qui irrepperant, fuerit sublatus. Concil. *Sabinen.*, cao. 22, ibi: « Quia

igitur in nocturnis vigiliis, quas in Ecclesiis fieri aliquorum simplicium devotio introduxit, nefanda sæpe, ac enormia sub hæc boni specie committuntur, ipsas fieri de cætero firmiter prohibemus. » Sic apud Paravicinum in *Poliant. sacror. canonum*, verb. *Vigiliæ*, n. 3. Et sic tenent Honorius, in *Gemma* lib. iii, cap. 6; Gavant., part. iv, tit. 13, n. 1; Durandus, in *Rationali* lib. vi, cap. 7, n. 8; Quarti, *loc. cit.*, n. 2, et alii.

(3. Dictæ nocturnæ vigiliæ viguerunt non solum in primævis Christianorum temporibus, sed in variis Ecclesiis cathedralibus et aliquibus parochialibus continuaverunt usque ad xv sæculum, ut ex multis

ostendit Martene, in *Tract. de antiqua Ecclesiæ disciplina* cap. 7, n. 3, secutus a Merato, *loc. cit.* Unde Vigilantius hæresiarcha sui nominis hostis, qui sæculo quarto temerario ausu vigiliis improbat, confutatus fuit a S. Hieronymo a quo per jocum dicitur *Dormitantius*, et in concilio *Aquisgranens.* sub Ludovico Pio cap. 130, sic habetur: « Est autem quoddam genus hæreticorum superfluas existimantium vigiliis, et spirituali opere infructuosas, dicentium, jura temerari divina, qui noctem fecit ad requiem, sicut diem ad laborem, qui hæretici Græco sermone Nyctazontes, hoc est somniculosi vocantur. » Ita apud Paravicinum, *loc. cit.*, n. 1 in fine.

(4. Vigiliæ nocturnæ viguerunt etiam ante legem evangelicam, tum apud ethnicos, tum apud Judæos, qui duodecim horas noctis artificiales dividere solebant in quatuor partes æquales inter se, id est longiores vel breviores, juxta noctium longitudinem vel brevitatem; nam in æstate erant breviores, in hieme vero longiores, quarum partes, stationes et vigiliæ militares dicebantur; et harum quælibet tribus horis constabat. Prima incipiebat ab occasu solis, et terminabatur in horam tertiam, et dicebatur *Canticinium*; secunda incipiebat ab hora tertia, et terminabatur in horam sextam, et dicebatur *Intempestum*; tertia incipiebat ab hora sexta, et terminabatur in nonam, et dicebatur *Galicinium*; quarta, quæ proprie dicebatur vigilia matutina, incipiebat ab hora nona, et terminabatur in duodecimam, id est usque ad ortum solis, et dicebatur *Antelucanum*.

(5. Prædictarum vigiliarum mentio fit in Veteri Testamento. De prima vigilia *Threnor.* ii, 18: *Lauda in nocte in principio vigiliarum*. De tertia *Judicum* vii, 59: *Incipientibus vigiliis noctis mediæ*; de quarta *Exodi* xiv, 24: *Jamque advenerat vigilia matutina*. In Testamento etiam Novo habetur multis in locis expressa mentio earundem vigiliarum, *Lucæ* ii, 8: *Pastores erant in regione eadem vigilantes, et custodientes vigiliis noctis*. S. Matthæus, c. xiv, 25, de Christo loquens ait: *Quarta autem vigilia noctis venit ad eos ambulans super mare*; et idem Christus Dominus *Marci* xiii, 35, dixit: *Vigilate ergo, nescitis enim quando dominus domus veniat, sero, an media nocte, an galli cantu, an mane*. Quod hic dixit sero, intelligit primam vigiliam noctis; quod hic dixit, media nocte, an galli cantu, *Lucæ* xii, 38, dixit: *Si venerit in secunda vigilia, et si in tertia vigilia venerit*; et quod hic dixit mane, S. Matthæus cit. c. xiv, v. 25, dixit: *Quarta autem vigilia noctis*. Ethnicos quoque nocturnas vigiliis celebrasse in honorem suorum deorum ostendit card. Bona, *De divina psalmodia* cap. 4. Hæc ad litteram eruditissimus P. Merati tom. II, sect. 3, cap. 7, sub num. 1, § *Hujusmodi vigiliæ*.

(6. Hinc tres matutini nocturni instituti fuerunt, ut responderent tribus vigiliis, sive noctis stationibus, quibus ad orandum surgendum erat, et Laudes, ut responde-

rent quaræ vigiliæ sub lucis ortum; Amalarius, l. c.; Merati, t. II, sect. 4, cap. 1, vers. *Cæterum*, et alii.

(7. Vigiliæ nocturnæ fuerunt abolitæ propter abusum, qui irrepperant, ut ex concilio *Sabinensi*, et doctoribus allatis *supra* num. 2, dictum est.

(8. Abolitis supradicta ratione fere universaliter prædictis Christianorum vigiliis, solumque adhuc in aliquibus insignioribus Ecclesiis pie ac laudabiliter observatis, ut in Ecclesia Parisiensi, ad tradita per Græcolas, lib. i, cap. 23, in Ecclesia Toletana, ac in Ecclesia Aurelianensi in nocte Inventionis S. Crucis, in Ecclesia Cenomanensi in nocte S. Juliani, et in Ecclesia S. Martini Turonensis in nocte festi Transitus ejusdem sancti, ut ex aliis d. P. Merati, cit. tom. II, sect. 3, cap. 7, vers. *Abolitis*, et alibi, ut referunt alii, et per universam Ecclesiam in nocte Nativitatis Domini; et in pluribus regularium utriusque sexus ordinibus, qui diversis horis nocturnis surgunt ad Matutinum decantandum, ita ut in qualibet noctis vigilia aliquis regularis ordo surgat ad nocturnas laudes Deo persolvendas; remansit apud universalem Ecclesiam vigiliarum nomen, sive ad indicandum jejunium in ipsis observandum, sive officium divinum in ipsis recitandum.

(9. Jejunandum est igitur ex præcepto scripto in vigiliis Nativitatis Domini, Assumptionis B. M. V. et omnium Apostolorum, exceptis vigiliis sanctorum apostolorum Philippi et Jacobi, ac sancti Joannis evangelistæ, textu expresso in cap. *Ex parte vestra* 1, et cap. *Consilium* 2, De observatione jejuniorum. (10. Ideo autem excipiuntur ab obligatione jejunii dictæ vigiliæ sanctorum apostolorum Philippi et Jacobi, ac S. Joannis evangelistæ, « quoniam ipsorum solemnitas infra solemnitatem Paschalem, istius autem infra Natalem Domini celebratur; » sunt verba præcisa citat. cap. *Consilium*.

(11. Generali autem consuetudine vim præcepti habente, sive ex præcepto tradito, et non scripto, ut vult Cardenas, et alii theologo, jejunandum est in vigiliis Pentecostes, Nativitatis S. Joannis Baptistæ, S. Laurentii et festivitatis Omnium Sanctorum. Sic expresse sapientissimus P. Merati, tom. II, sect. 3, cap. 7, sub num. 1, verb. *Abolitis* in fine, ubi recte subdit, quod præter dictas vigiliis, aliæ duæ in Breviario et Missali recensentur, id est Epiphaniæ et Ascensionis Domini, sed sine obligatione jejunii, solum ideo retentæ, quia in his solemnitatibus perinde ac in aliis, vigiliæ olim sollemnes in ecclesiis haberentur; tum ut de iis officium rite persolvatur. (12. Ideo autem in ipsis non jejunatur, quia nulla adest lex, seu consuetudo ad id obligans, ob lætitiâ Nativitatis Domini, et ejusdem Resurrectionis; quam ob causam neque jejunatur in vigiliis S. Joannis apostolini et evangelistæ, et sanctorum apostolorum Philippi et Jacobi, ut dictum est *supra* num. 10, per expressum allatum textum, cap. *Consilium* 2, De

observatione jejunior.; Gavant., tom. I, pag. 1, tit. 3, num. 6, et tom. II, sect. 3, cap. 7, num. primo, et alii passim.

(13. Vigilia S. Bartholomæi celebranda est juxta morem regionum, textu expresso in cit. cap. *Consilium*, ibi: « De festivitate vero S. Bartholomæi apostoli, » de cujus celebratione dubietas oritur apud quosdam, respondemus quod in hoc consuetudinem tuæ regionis observes. »

(14. Vigilia occurrente in Dominica, jejuniari debet in Sabbato antecedenti, textu expresso in cap. *Ex part. I*, De observatione jejuniorum.

(15. Si vigilia S. Joannis Baptistæ cadat in festo Corporis Christi, anticipandum est jejunium feria IV. Sac. Rit. congreg. 23 Sept. 1638, in *Decreto Urbis et Orbis*, et Urbanus VIII 14 Octobr. ejusdem anni 1638, in appendic. 2, constitut. 45 incip. *Cum evenire*.

(16. Et eo anno nihil prorsus in officio et missa, nec commemoratio fit de vigilia, quamvis anticipetur jejunium feria IV, prout respondit sac. Rit. congreg. 28 Sept. 1706, inquiens: « Nihil de vigilia in officio et missa, » apud Monacell., part. IV, *Supplement. ad II tom.*, num. 459, quod approbavit Clemens XI, 2 Octobris ejusdem anni, ut in ejus Bullario particulari part. III, decret. 9.

(17. Idem declaratum est quoad jejunium pro vigilia S. Antonii de Padua, si occurrat in festo Corporis Christi. *Vide verb. JEJUNIUM*, art. 1, n. 23.

(18. Si vigilia cum jejunio occurrat in festo solemniori alicujus patroni principalis, potest licite ab episcopo fieri commutatio jejunii in die præcedenti. *Vide ibidem*, n. 24, et rubricas particulares Breviarii Franciscani, tit. *De vigiliis*, n. 73.

(19. Non potest tamen auctoritate episcopi anticipari vigilia S. Matthiæ apostoli, etiamsi occurrat ultima die bacchanalium. *Vide ibidem*, n. 25.

(20. Officium de vigilia fit in omnibus vigiliis per annum, quæ jejunantur, nisi in die vigiliæ occurrat festum novem lectionum, quia tunc fit officium de tali festo, et legitur nona lectio de Homilia vigiliæ, et fit commemoratio de ea ad laudes tantum, cum antiphona ad Benedictus, et y. feriæ occurrentis de Psalterio et oratione vigiliæ, text. expr. in Rubrica *De vigiliis*, n. 1.

(21. Si autem tale festum occurrat in die vigiliæ fuerit primæ classis, tunc nihil prorsus, nec commemoratio fit de vigilia, excepta vigilia Epiphaniæ; sic expresse in cit. Rubr. n. 2. (22. Et idem servandum est, quando aliqua vigilia cadit in Adventu, Quadragesima, et Quatuor Temporibus, quia nulla in his fit commemoratio de vigilia. Ita expresse cit. Rubric., n. 2.

(23. Si vigilia occurrat in Dominica, anticipatur ejus officium in Sabbato præcedenti, non impedito officio novem lectionum; quia tunc de vigilia fit tantum commemoratio. Excipiuntur tamen ab hac regula vigiliæ Nativitatis et Epiphaniæ Domini, quæ si venerint in Dominica, nihilominus

fit officium de ipsis, textu expresso in cit. Rubrica, n. 2. (24. Si autem alicubi anticipetur, seu transferatur jejunium alicujus vigiliæ in pridianum diem ob principale et solemne festum patroni loci in ipsa vigilia occurrens, non est transferendum, nec anticipandum officium vigiliæ, sed de ipsa nihil tunc fit in officio, et missa arg. cit. decret. sac. congreg. Rit., n. 16, et tenent Gavant. ac Merati, tom. II, sect. 3, cap. 7, n. 3; Quarti, part. I, tit. 3, sect. 2, dub. 2, ubi concludit, quod non impetrata licentia a Sede Apostolica, omittendum sit tunc officium cum missa vigiliæ.

(25. Officio vigiliæ, quod tunc erat de feria, addit sanct. Pius V Homiliam in Evangelium, quod in missa legebatur; Azorius lib. X, cap. 16, q. 5; Gavant., et Merati, loc. cit., n. 5.

(26. Licet ex dictis supra num. 22, si vigilia venerit in Adventu, Quadragesima et Quatuor Temporibus, non sit facienda de ipsa commemoratio in officio; est tamen facienda in missa, ut præscribit *Rubrica missalis*, tit. *De feria et vigilia*. Et ratio diversitatis est, quia cum vigilia habeat orationem propriam, et non confundatur cum oratione feriæ, hinc nulla est ratio, cur debeat omitti ejusdem commemoratio in missa, quæ in sola oratione consistit. At vero in laudibus commemoratio involvit etiam antiphonam, et vers. feriæ, quæ deherent repeti, si deberet in officio fieri commemoratio vigiliæ, cum semper in tali commemoratione desumatur antiphona, et versus ex feria tunc occurrente, ut recte advertit doctissimus P. Merati tom. II, section. 3, cap. 7, n. 4.

(27. Non fit autem commemoratio de vigilia, nec in missa in festis primæ classis, sicut nec fit de ipsa in officio, textu expresso in *Rubrica Missalis*, tit. *De feria et vigilia*, n. 2, ibi: « Quod si vigilia occurrat in die alicujus festi ex majoribus primæ classis, in missa non fit commemoratio de ea, sicut nec in officio. »

(28. Sic etiam nec fit commemoratio festi simplicis in missa in festis primæ classis, excepta sancta Anastasia in 2 missa Nativitatis Domini, propter peculiarem rationem, quia nempe secunda illa missa in Ecclesia d. Sanctæ Anastasiæ celebratur a Summo Pontifice et in ejus absentia a cardinali habente titulum Sanctæ Anastasiæ, et in ejus defectu a primo cardinalium presbyterorum, ut ex aliis, tradit eruditissimus P. Merati, tom. I, part. I, tit. 7, n. 2, et quia ad eandem missam adsunt Romæ stationes in Ecclesia dicte sanctæ, ut tradit Micrologus, cap. 4, *De numero orationum in missa*, relatus et secutus a d. P. Merati, loc. cit., part. V, tit. 3, num. 9, ibi: « In Nativitate Domini ad missam in mane Romani orationem de S. Anastasia adjiciunt, quia stationem in Ecclesia ejusdem martyris ad eandem missam agunt, et nos quoque in illa adjectione incitamus, licet non eandem adjectionis occasionem habere videamur. » Imo, ut refert Grancelas ibi a Merati citatus, exstant missalia M. SS. in quibus se-

cunda hæc missa tota est de S. Anastasia, cum commemoratione Nativitatis; et in antiquo codice Turonensis Ecclesiæ annorum 800, relato a Martène *De antiqua Ecclesiæ disciplina* cap. 12, collecta de sancta Anastasia præmittitur orationi de Nativitate Domini. Quinimo antiquissimus codex parthenonis B. Mariæ Calensis, qui ab eodem scriptore laudatur, duas habet præfationes, unam de Nativitate, alteram de S. Anastasia: x quo fortasse conjici posset antiquitus secundam missam in die Natalis Domini fuisse de S. Anastasia, ut refert Grancelas supra laudatus.

(29. In vigilia Nativitatis Domini, sicut in tota ejus octava, prohibentur missæ volivæ et *de requiem*, excepta una solemni pro re gravi, et *de requiem* cantata præsentem cadavere. Sac. Rit. cong. 28 Aug. 1637, 25 Septembris 1708 et 15 Septembris 1714.

(30. In vigilia Epiphaniæ prohibentur missæ volivæ et *de requiem*; potest tamen cani una votiva solemni pro re gravi et una *de requiem* solemni præsentem cadavere. Sac. Rit. cong. 27 April. 1697, 16 Junii 1708, 10 Decembris 1718, et 16 Septembris 1730. Dicte autem missæ solemnes cantari possunt etiamsi ipsa vigilia sit dies 3, 7, aut tricesima, et anniversarium depositionis defuncti in ecclesia tumulante, et non aliter. Sac. Rit. congreg. 10 Decembris 1718. Sic ex Calendario Minorum de observantia Mediolani impresso anno 1743, et variis aliis annis.

(31. In vigilia Ascensionis feria IV Rogationum, si occurrat festum primæ classis, tunc nec in officio, nec in missa fit aliquid de ipsa. Unde in tali casu cantari debet in cathedralibus et collegiatis solum missa de dicto festo post tertiam, et alia de Rogationibus post nonam, omissa illa de vigilia. Si autem in dicta vigilia occurrat aliquid festum novem lectionum duplex, seu semiduplex, tunc officium fit de eo cum lectione de homilia vigiliæ, et ejus commemoratione ad laudes, et cantari debent tres missæ; prima de festo post tertiam cum colore tali festo convenienti; secunda de vigilia post sextam in paramentis coloris albi; tertia de Rogationibus post nonam in paramentis violacei coloris, ac in fine cujuslibet dici debet Evangelium S. Joannis. Merati, tom. I, part. IV, tit. 11, num. 14, cum Gavanto, et aliis ibi cit. Advertendum est autem, quod licet occurrente festo primæ classis in vigilia Ascensionis feria IV Rogationum, nihil sit agendum de ipsa tam in officio quam in missa; si tamen tale festum primæ classis occurrat in feria II Rogationum, quia ipsa est *feria major*, debet de ea fieri commemoratio tum in missa, cum ejus Evangelio in fine, tum in officio, cum ejusdem nona lectione. Et in hac feria cani debent in cathedralibus et collegiatis duæ missæ, prima de festo, in qua nulla fit commemoratio feriæ, et secunda de feria, in qua nulla fit commemoratio festi. Non sic vero de feria III Rogationum, quia ipsa est tantum *feria minor*; unde occurrente in ipso festo duplici primæ classis, nihil de ipsa agendum est in missa, tum in officio.

Imo in officio de ea nihil fit, quocumque in ipsa occurrente festo etiam simplici, de quo occurrente simplici fit officium sine commemoratione feriæ, sed tantum de cruce, ut tempore Paschali. Et tunc missa dici potest, vel de festo simplici cum commemoratione Rogationum, vel de Rogationibus cum commemoratione festi simplicis, ut dicitur in Rubrica propria, et tertia oratio erit *Concede*, ac ultimum Evangelium sancti Joannis in utralibet. Nec tunc in cathedralibus et collegiatis canendæ sunt duæ missæ, ut resolvit sac. Rit. congreg. 5 Julii 1698, in *Collen.* in qua ad sequens inter alia propositum tertium dubium: « An occurrente in feria tertia Rogationum festo simplici, in cathedrali et collegiatis sint cantandæ duæ missæ? » Respondit, ad 3. *Negative*. Sic cum Gavanto et aliis, eruditissimus P. Merati, tom. I, part. IV, tit. 11, n. 11, 13, 14, et tom. II, sect. 6, cap. 16, n. 21, recte advertendo ex Rubricis Missalis et Breviarii magis esse privilegiatam feriam secundam Rogationum et vigiliam Ascensionis in feria quarta, quam sit feria tertia, utpote *feria minor*, cedens festo simplici de quo tamen festo simplici nequit fieri officium in feria II Rogationum et vigilia Ascensionis communiter nuncupata feria quarta Rogationum. Insuper habentes indultum, ut semel vel pluries in singulis hebdomadis, aut mensibus dicant officium et missam, verb. grat. de sanctissimo Sacramento, aut certo aliquo sancto diebus nullo festo duplici vel semiduplici impeditis, non possunt uti hoc suo privilegio in feria II et IV Rogationum, seu vigilia Ascensionis ex decreto generali Urbis et Orbis edito a sacra Rituum congr. 20 Martii 1706, bene vero in feria tertia Rogationum in dicto decreto non excepta.

(32. In vigilia Pentecostes prohibetur quocumque officium, etiam primæ classis; item prohibentur missæ volivæ et *de requiem* excepta una votiva solemni pro re gravi, et *de requiem* cantata præsentem cadavere, quæ tamen prohibetur in Dominica Pentecostes et duobus sequentibus diebus ex decreto sacre congregat. Rituum 10 Decembris 1718, relato a supradicto Calendario Mediolani impresso anno 1743 et variis aliis annis. *Vide* tamen tom. V in *Supplement.*, verb. *Missæ*, art. 14, ubi ex novissimo decreto edito 2 Sept. 1741, permittitur missa solemnis *de requiem* præsentem cadavere feria II Paschæ, aut Pentecostes.

(33. Vigiliæ novas non appositas in Calendario Romano non potest ordinare episcopus quoad officium et missam, sed requiritur licentia Sedis Apostolicæ, ut patet ex bullis sancti Pii V appositis in initio Missalis et Breviarii, et ex decreto sac. Rit. congregat. addito Rubricis Breviarii. *Vide* etiam verb. *Officium*, n. 67. Neque quoad jejunium, ut pluries decrevit sac. Rit. congregat., ut videri potest sub verb. *Fest.*, n. 3, et novissime die 3 Martii 1731, ut refert Scarfantonus ad Ceccoperium, part. III, addit. 24, sub num. 18, pag. 69, juxta no-

vissimam edition. Viterbiens. de anno 1738, ubi: A magistratu provincie Gupuscoæ cum mandatis procuræ omnium locorum fuit emissum votum jejunandi in vigilia S. Ignatii Loyolæ, tanquam patroni principalis illius; quod cum servare renuerit clerus, propterea episcopus tanquam legislator ecclesiasticus illum obligavit ad ejus observantiam. At reperavit clerus chirographum a Benedict. XIII, quo improbatum fuit illud

VINUM.

Præstat quæ sequuntur adnotare.

(1. Solum vinum ex vite est materia apta consecrationis. Concil. Carthaginens. III, capit. 4; concil. Lateranens., cap. Firmiter, De summa Trinitate; concil. Florentin., sess. ult. in decreto Unionis, § Tertium, et Communis Catholicorum.

(2. Unde cervisia et sicera non est apta materia, cum illa fiat ex frugibus, et præcipue ex hordeo, ista ex pomis. (3. Item apta materia non est, lac, mel, oleum, balsamum, et similia. (4. Item apta materia non est succus extractus ex pomis, malgranatis et moris, et hujusmodi. (5. Item apta materia non est agrestum ex vis penitus immaturis expressum, et acetum, quia illud nondum est vinum, et istud intelligitur jam substantialiter corruptum. (6. Item materia apta non est aqua ex vite ad modum lacrymæ decidens, quia licet de vite proveniat, nihil tamen vini, nec ejus accidentia continet. (7. Item materia apta non est vinum adhuc in vis existens, et non expressum, cum potius vim habeat cibi, quam potus. (8. Item materia apta non est vini vapor, id est subtilior, et magis ignea ipsius pars, vulgo, *acquavita*, aut *spirito di vino*, quia nulla fere habet accidentia vino communia. (9. Item materia apta non est vinum ita decoctum et adustum, ut per decoctionem duæ ipsius partes fuerint consumptæ, remanente tertia parte densiori et dulciori; quia talis tertia pars est substantialiter diversa a vino, nec ad potum deservit, sed ad cibos condiendos. (10. Item materia apta non est vinum in pane imbibitum, quia tale vinum habet potius rationem cibi, quam potus; unde consecrari nequit; sicuti simili de causa consecrari nequit uva, seu vinum adhuc in uva existens, et non expressum; sic Communis doctorum quoad omnes supra positas conclusiones.

(11. Apta tamen materia pro consecratione est vinum miraculosum, quale fuit illud in Cana Galilææ a Christo ex aqua productum, quia ipsum in substantia est ejusdem rationis, et speciei cum vino de vite expresso,

(126) Quæri hic potest, utrum ad Eucharisticum sacrificium perficiendum, uti quis possit liquore ex vis passis, vulgo *zebibo*, expresso. Pro cuius rei intelligentia sciendum, vinum in Æthiopia, cujus ibi magna exstat penuria, ita confici: Sumuntur V. G. lib. IV zebibi, franguntur, et tonduntur; atque in totidem aquarum frigidarum libras infunduntur: sex, octo, vel ad summum decem horas ea in infu-

factum episcopi sub die 21 Martii 1729, a quo cum petita fuisset oris aperitio, in sac. Rit. congreg. die 3 Mart. 1731, ponente eminentissimo Origo, fuit denegata, et iterum postulato recessu a decisis die 15 Septemb. sac. eadem congreg. stetit in decisis. Sic apud Joan. Baptistam Pittonum, *Constitut. ac decision. pro sac. Ritibus*, tom. II, num. 1012.

sicuti in substantia est ejusdem rationis cum pane triticeo panis miraculose ex lapide seu alia materia productus.

(12. Mustum immediate ab vis expressum, et non depuratum in casu alicujus necessitatis est materia apta et licita pro consecratione; colligitur ex can. *Cum omne crimen*, De consecrat., dist. 2, ubi dicitur, quod in necessitate possit exprimi botrus in calice, aqua misceri et consecrari; quod clare demonstrat, tale mustum esse materiam aptam, et validam, et ex necessitate etiam licitam, quia necessitas facit licitum quod alias est illicitum; can. *Quod non est licitum* 4, De regul. juris, cap. *Omnes* 1, De feriis, cap. *Consuluisti* 3, de celebrat. missar., cap. *Concilium* 2, De observatione jejuni., cum similibus.

(13. Uno verbo omnia vina de vite modo consueto extracta, quæ non sint substantialiter corrupta, vel notabiliter mutata, sunt materia apta consecrationis, quamvis aliquantulum alterentur, ut si calefiant, et modice coquantur, modico aquæ immisceantur, aut aliquo aromate ad ea conservanda condiantur. (14. Nec refert, an dicta vina sint alba vel rubra, cum utraque sint vera genimina vitis. (15. Quamvis tamen ubi commode haberi possint vina alba, convenientius sint adhibenda, ut statuit concilium *Mediolanense* p. 1, tit. *Quæ pertinent ad celebrationem missæ*, ibi: « Quamobrem etiam vino albo, ubi possit, tantummodo ad missæ sacrificium sacerdotes utantur. »

(16. Probabile fortasse est, quod si vinum imbibitum in pane erumpat supra panem, aut si uva matura pungatur, ita ut erumpat succus quasi in bullas, sit materia apta ad consecrationem. Sic La Croix lib. VI, part. 1, num. 436, cum Suarez, et Haunold. ibi citatis, et alii. Et ratio est, quia eo ipso quod vinum erumpat, desinit esse pars talis panis intincti, vel uvæ, et est vere demonstrabile, sicuti si quis videat sanguinem erumpere e vulnere Pauli, vere dicit, hic est sanguis Pauli (126).

sione relinquuntur; extracto dein zebibo, ac panno ab aqua exteriori expurgato, panno stringitur, vel torculari subicitur. Dubium est, an liquor inde expressus, materia ad consecrationem apta sit censenda. Hujusmodi dubium propositum fuit congregationi S. Officii a P. Josepho de Hierusalem ord. Min. Strict. Observ. missionibus Æthiopiæ præfecto, die 4 Februar. 1703, coram Sanctissimo,

(17. Item probabilius est, quod vinum congelatum sit materia ad consecrationem; Silvester, verb. *Eucharistia* 2, q. 10; Angelus, verb. *Missa*, n. 23; Suarez, disp. 45, sect. 1, vers. *Unde tertio concludo*; Reiffenstuel, *Theol. moral.*, tract. 14, n. 14, q. 3, n. 25, testans de communiori theologorum; La Croix cum Busemb. et aliis lib. VI, part. 1, n. 434, et alii plures contra Armillam, Ledesmaum, Henriquez, Felicem Potest. et alios; et ratio nostra est, quia vinum congelatum est proprium vinum ex vite substantialiter, et ex natura sua potabile; et quamvis hic, et nunc propter congelationem non sit proxime potabile, hoc est per accidens; potest enim facile per liquefactionem redigi ad formam potabilem. Unde attendendum est ad id quod est per se, et ex natura sua, et non ad id quod est per accidens. (18. Si quis autem sine necessitate in vino congelato consecraret, peccaret graviter, quia sine necessitate consecraret in materia aliquantulum dubia, cum supra citati doctores putent esse materiam insufficientem et invalidam; unde priusquam consecraret, debet liquefieri, vel complectendo calicem manibus, vel ignem, aut calidos pannos applicando; sicuti Rubricæ Missalis tit. *De defectibus in ministerio ipso occurrentibus*, præscribunt esse faciendum, si post consecrationem sanguis congeletur in calice, ibi: « Si in hieme sanguis congeletur in calice, involvatur calix pannis calefactis; si id non proficeret, ponatur in ferventi aqua prope altare; dummodo in calicem non intret, donec liquefiat. »

(19. Sine vino nunquam licet consecrare solum panem: consecratio enim utriusque speciei panis et vini est de necessitate præcepti divini. Vide verb. *Sacrificium*, a n. 50 ad 52. (20. Falsum enim et fabulosum est, quod Innocentius VIII dispensaverit cum Norvegis, ut in una tantum specie consecrarent. Vide *ibid.*, n. 53 et 54.

(21. Guttæ vini existentes intra calicem discontinuæ, et a reliquo vino sejunctæ probabiliter non remanent consecratæ; Suarez disp. 43, sect. 6, § *Sed objicies*; Reginald., lib. XXIX, cap. 2; Gavantus, in *Rubric. Missalis*, part. III, tit. 7, n. 4; Madernus, tract. 2, De sacramento *Eucharistiæ*, quæst. 2, art. 4, n. 15; Cacheranus, tract. 9, *De Eucharist. ut sacramento*, cap. 2, § 6, n. 126; Felix Potestas tom. III, part. I, cap. 2, n. 227, et alii contra Bonacinam, disp. 4, q. 2, punct. 5, proposit. 2, n. 7; Coninch., Tolet., Rodriguez ab ipso citatos, et alios; et ratio nostra est, quia intentio legitima sacerdotis fertur solum in materiam existentem in calice demonstrabilem per pronomen *Hic*, et licite consecrabilem; licite autem est solum consecrabile vinum aqua commistum, cum hoc sub gravi præcipiatur ab Ecclesia, ut mox dicetur, qua aqua non censetur

qui auditis votis, etc., mandavit exquiri, quo præcise modo conficiatur præfatum vinum. Postea die 6 Jul. 1706, eadem in congregatione, præmissa explicatione, propositum iterum fuit dubium, ac lectis quoque relationibus et rationibus patris Joannis Damasceni consultoris, necnon variis ex-

FERRAR. VII.

commistæ guttæ vini intra calicem existentes discontinuæ, et a reliquo vino sejunctæ, adeoque, etc. (22. Advertendum tamen est, quod guttæ illæ vini, si ante consecrationem inadvertenter non fuerint abstersæ, non debent post consecrationem abstergi propter probabilitatem, quod sint consecratæ juxta opinionem supradictorum doctorum.

(23. Vino consecrando admiscenda est aqua, can. *In sacramentorum* 1, can. *Sicut in sacrificando* 2, can. *Non oportet* 4, can. *In sacramento* 5, can. *Cum omne* 7, can. *In calicem* 83; dist. 2, *De consecr.*, cum similibus, conc. *Floren.*, in decreto *Unionis*, § *Tertium*, conc. *Trident.*, sess. XXII, cap. 7.

(24. Vino consecrando admiscenda est aqua ob tres potissimum rationes, quas adducit conc. *Trident.* cit. sess. XXII, cap. 7, præcis his verbis: « Monet deinde sancta synodus præceptum esse ab Ecclesia sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent, tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur, tum etiam quia e latere ejus aqua simul cum sanguine exierit, quod sacramentum hac mixtione recollitur, et cum aquæ in Apocalypsi beati Joannis populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo unio representatur. » Et concordat conc. *Floren.*, loc. cit., et cit. c. *In calicem* 83, dist. 2, *De consecr.*, c. *Cum Martha* 6, De celebrat. missarum, cum similibus.

(25. Præceptum de aqua miscenda vino consecrando est tantum ecclesiasticum et non divinum. *Communis*, et clare patet ex illis mox adductis verbis conc. *Trid.*, « præceptum esse ab Ecclesia. »

(26. Vinum plus quam aqua in calice pro sacrificio est ponendum: cap. *Perniciosus* 13, De celebratione missar. Vinum quippe cum aqua miscendum debet esse plus saltem quoad duas partes: concil. *Tribur.* I, cap. 19, et concordant Rubricæ Missalis, tit. 7, *De offertorio*, ubi præcipitur quod sacerdos infundat *parum aquæ in calice*, et concil. *Florentin.* in cit. decreto *Unionis*, § *Tertium*, dicit, quod vino « ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet. »

(27. Aqua mista vino non convertitur immediate in sanguinem Christi, sed solum mediate, id est convertitur prius in vinum, et eo mediate per consecrationem in sanguinem. Sic expresse S. Thomas, part. III, q. 74, art. 8; S. Bonaventura, in 4, dist. 11, part. II, art. 1, q. 3; Scotus, in 4, dist. 11, p. 7, cum omnibus Thomistis et Scotistis, ac pluribus recentioribus contra plures alios; et ratio nostra est, quia solum vinum ex vite est materia apta consecrationis: ex concil. *Carthaginens.* III, cap. 24; conc. *Lateranens.* in cap. *Firmiter*, De summa Trinitate; concil. *Florentin.* sess. ultim., in de-

perimentis factis pro eruendo dicto vino, Sanctissimus, auditis votis eminentissimorum, dixit: *Licere, dummodo liquor extrahendus a zebibo, vel vis passis ex colore, odore et gustu dignoscatur esse verum vinum.* »